

sit frigus, sed in se puram negationem frigoris habet, sicut homo habet negationem lapidis, et tamen carentia frigoris, quam causat in subjecto est privatio, quia illud subjectum est capax frigoris. Similiter ægritudo in se nihil habet sanitatis, sed puram ejus negationem, non obstante quod una ægritudo potest esse major aut minor altera, et tamen in subjecto causat privationem sanitatis, quia est capax illius; ergo etiam bene stat, quod peccatum, seu actus ipse non habeat privationem, sed negationem virtutis, et bonitatis moralis in se, et tamen subjectum habeat privationem illius, quia est capax ejus, non obstante quod unum peccatum sit majus, aut minus altero.

XIII. Dices secundo contra rationem a priori, quod actus liber semel egrediens a voluntate, non est amplius mensurabilis per rectitudinem, et sine defectu, quia in se extrinsece diminutus, et defectuosus est; ergo in illo non relinquitur potentia, et indifferentia ut recte mensuretur, et sic non est capax talis mensurationis; neque ex sua specie talem capacitatem habet, quia ex specie opponitur rectæ mensurationi; ergo stante illa specie non est capax rectitudinis. Et sic solum est mensurabilis per elongationem, et distantiam a regula, non per adæquationem, et conformitatem cum illa. Et præterea si solum est capax bonitatis in quantum actus liber, solum dicetur capax illius secundum rationem, et prædicatum commune, quia ratio liberi est prædicatum commune omni actui humano, et pertinet ad prædicatum entitativum, et secundum genus naturæ in actu; ergo ex hoc quod sit capax in quantum liber rectitudinis, solum sequitur quod sit capax ratione prædicati generici, non ratione specifici: sicut talpa dicitur

cæca ratione prædicati communis, quod est animal; aut sicut aqua dicitur capax ascensus ratione prædicati communis, quod est corpus, cum tamen nemo possit dicere, quod aqua habet privationem quiescendi sursum, quando descendit naturaliter deorsum; vel quod cælum est privatum divisione, quia ratione quantitatis est capax illius.

XIV. Ad primam instantiam respondetur esse considerandam hic latam differentiam inter contraria naturalia, et absoluta, et inter contraria moralia, et artificialia, seu respectiva. Contrarietas naturalis non consistit in aliqua mensuratione, seu regulatione, seu ordine ad aliquam mensuram per cujus conformitatem, vel difformitatem resultat contrarietas, sed sunt contraria absoluta, quorum contrarietas exercetur in ponendo, vel removendo aliquam dispositionem in subjecto, sicut calor et frigus, ægritudo et sanitas. Unde non oportet, quod unum sit capax alterius, sed subjectum utriusque; inter se autem pure servant oppositionem, quia formæ, seu dispositiones contrariæ sunt, non ratione alicujus regulationis, vel irregulationis, quæ ipsas formas reddat conformes, aut difformes alicui regulæ, et exinde contrarias.

XV. At vero actus moralis non habet contrarietatem cum alio actu per hoc quod contrario, et opposito modo disponant subjectum, et in se sint formæ omnino absolutæ, et repugnantes, sed per hoc quod contrario modo se habeant ad aliquam regulam in conformando, vel difformando se illi, sicut est regula rationis, lex et prudentia, quæ immediate regulant actum, non subjectum, nisi ut operans est talem actum. Quare si actus ipse in se mensurabilis est, oportet quod in se sit capax mensurationis, per cujus de-

fectum obliquatur actus, non vero solum ipsum subjectum dicatur capax talis formæ, sed ipsemet actus sit capax rectitudinis, et illi sit debita ut procedit humano modo, eo quod materia proxime regulabilis est actus ipse, non potentia vel subjectum, alias si non esset capax regulationis, non esset regulabilis, non solum per conformitatem, sed nec per difformitatem, et disconvenientiam cum regula, quia quod non est capax conformationis, non potest dici difforme, et a regula dissonum, eo quod non est debita illi conformatio; et si non est debita, etiamsi sine illa inveniatur, nihil ei deficit de regulatione, et mensuratione sua, et sic non habebit difformitatem, nec peccatum; nullum enim peccatum est si deficiat alicui, id quod sibi non debetur. Et eodem modo in artefactis, quia defectus eorum pendet a mensura artis, non invenitur in eis contrarietas, quæ consistit in conformitate, et difformitate regulationis cum sua idea, nisi illudmet artefactum, quod est defectuosum, verbi gratia cathedra, vel domus male fabricata sit capax regulationis per ideam artificis, licet prout defectuosa, et recedens a rectitudine ideæ debitæ illi artefacto, si alias in ordine ad suum finem consideretur non sit capax rectæ regulationis, sicut neque peccatum ut tangit objectum dissonum non est capax rectitudinis, quia sub tendentia illius objecti non potest ad rectum, et regulatum objectum tendere.

XVI. Ad secundam instantiam respondetur illum actum peccati, si consideretur adæquate non solum prout liber actus est, et dirigibilis de se a ratione, sed ut de facto tendens, et attingens objectum dissonum, et ad illud terminatus, clarum est non posse esse rectum, nec esse capacem rectitudinis, sed hoc

est considerare illum in sensu composito, quod videlicet in quantum peccatum et manente peccato sit rectum, ita quod utrumque sit simul, et rectum, et pravum: hoc omnino impossibile est. Sed dicimus esse capacem rectitudinis in sensu diviso, quia videlicet ille actus ex sua natura, et entitate, ut actus liber est, est capax regulationis rectæ, licet prout de facto incurrens tendentiam obliquam, et defectuosam erga objectum pravum, et dissonum, non possit illam exuere: sicut etiam artefactum semel male factum non potest prout tale simul esse bonum, et rectum, est tamen sedendum se capax rectitudinis, quia illa materia artefacti est subiectibilis regulis artis rectæ, et in quantum fiebat tale artefactum erga talem finem, verbi gratia cathedra ad sedendum, domus ad habitandum, postulabat tali modo recto fieri. Sic similiter actus ille quasi quoddam artefactum, seu potius moraliter mensuratum ex sua materiali ratione ut humanus quatenus præbebat materiam regulandam rationi, et procedit a principio operante, cum fine, et lege est capax, et postulat legi conformari, licet postquam semel egressus est cum tali tendentia ad objectum dissonum, et non regulatum regulis rationis, non possit exuere illam tendentiam nisi destruat actus (loquendo de actu interno) nec possit simul cum illa induere rectam tendentiam in objectum rectum.

XVII. Et si instes: Ergo actus malus nunquam est capax rectitudinis patet, quia non potest illam habere, nisi destruat non solum in sua moralitate (hæc enim cum sit mala non potest simul stare cum bona) sed etiam in sua entitate naturali, quia non potest advenire alia tendentia moralis bona, nisi cum novo actu entitativo, et mutata tota

entitate actus, eo quod (ut supra diximus) tendentia illa positiva moralis ad objectum prout regulatum identificatur cum tendentia naturali, et non est alia distincta; ergo ut dissolvatur tendentia peccaminosa, et in objectum pravum, et adveniat tendentia rectitudinis, et circa objectum rectum, tota entitas actus debet mutari. Ergo unus, et idem actus numero nunquam est capax rectitudinis, hoc ipso quod habet obliquitatem, et tendentiam pravam.

XVIII. Respondetur negando consequentiam. Et ad probationem dicitur, quod bene stat aliquam rem non posse amittere aliquod accidens nisi destruat, et tamen verificari, quod illud accidens possit adesse et abesse divisive, seu in sensu diviso, quod patet in omni accidente inseparabili; sicut calor, verbi gratia, aut quantitas non potest abesse ab animali, quin animal destruat, et tamen est objectum capax frigoris, et calor est simpliciter accidens; existentia etiam, seu conservatio illius, et mors sunt accidentia viventis, et tamen non possunt adesse et abesse, nisi destruat subjectum quoad existentiam. Et ideo in logica in quæstione duodecima de accidenti dicimus, quod per ly adesse et abesse, accidens non intelligitur quod possit adesse et abesse sine corruptione subjecti quantum ad existentiam, cum multa accidentia sint, quæ subjectum destruant, et cum eo non compatiuntur inesse; sed intelligitur quod possit adesse et abesse sine corruptione subjecti quantum ad connexionem cum illo, sive enim connectatur sive non, non corrumpitur subjectum: opposito modo ad rationem proprii, quod ita necessario convenit, quod si non haberet connexionem cum subjecto, destrueretur subjectum, licet possit actu non

convenire, sed solum aptitudinaliter, quia potest separari proprietas a subjecto saltem divinitus.

XIX. Sic ergo actus humanus pravus, licet non possit mutare moralitatem, nisi mutet tendentiam entitativam ad objectum, tamen hæc prout moralis accidentaliter se habet ad entitatem actus naturalem, ipsaque entitas actus de se postulat, et est capax rectitudinis, et tendentiæ ad objectum rectificatum quantum est ex vi talis actus ut humanus, et liber est. Et melius exemplum est in actu visionis, qui eadem tendentia tendit in colorem ut figuratum, vel situatum, vel cum motu, aut quiete, et accidentale est tali actui attingere figuram, vel motum, nec tamen potest in hac tendentia ad figuram, et motum objecti variari, nisi totus actus varietur, quia illa tendentia innata, et conaturalis et intrinseca est actui, licet accidentalis, aut modificativa ejus sit.

XX. Ad id vero quod ultimo addebatur in secunda instantia, quod hoc modo solum ponimus actum malum esse capacem rectitudinis secundum rationem communem, et genericam, quatenus actus est liber, et humanus, quod omni actui humano commune est, dicitur in solutionibus argumentorum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXI. Primo arguitur fundamento præcipuo oppositæ sententiæ, quod jam insinuat, quia peccatum quod ex sua specie, et objecto malum est, ut odium Dei, infidelitas, homicidium, etc. non est capax alicujus rectitudinis; si enim aliquam rectitudinem posset habere, esset capax habendi oppositum suæ speciei, et essentiæ, quod implicat. Sequela patet, quia talis actus ex

sua specie malus est, et rectitudo est oppositum illius speciei, ergo si est capax rectitudinis est capax oppositæ speciei, quod omnino implicat, sic enim esset capax oppositæ essentiæ. Et non apparet cujus rectitudinis sit capax actus odii Dei, etiam consideratus in suo esse naturali, quia ut ille actus attingit objectum, scilicet Deum per actum fugæ, seu odii non potest esse capax alicujus rectitudinis, quia circa hoc objectum, quod est Deus, non est dabilis actus fugæ, qui rectus esse possit. Actus autem amoris non potest esse capax, cum sit actus abominationis, et fugæ.

XXII. Confirmatur, quia actus humanus, vel potest considerari secundum rationem communem, quatenus abstrahit a bono, et malo morali, vel secundum speciem suam particularem, quatenus malus est. Si consideretur in communi, non est illi debita rectitudo, quia actus ille abstrahit a bono et malo; ergo prout sic abstrahit, non debetur ei quod sit rectus, quia salva tota illa ratione communi potest actus esse malus; ergo non exigit illa ratio communis rectitudinem, nec illi debetur. Si vero consideratur actus secundum speciem non potest habere privationem rectitudinis, quia non est capax speciei sibi oppositæ, sed potius hæc repugnat, sicut equus non est capax rationalitatis, et sic solum potest habere negationem oppositæ formæ, non privationem.

XXIII. Respondetur, quod peccatum quod ex sua specie est malum, ut odium Dei, infidelitas, adulterium, etc. non est capax rectitudinis, si consideretur secundum ordinem ad objectum, et ut sumit ab illo moralitatem determinatam, quæ est species mali: est tamen capax illius si consideretur secundum se, et ut procedit a subjecto

per modum actus liberi, quia hæc entitas actus liberi est materia regulabilis a ratione. Nec enim inusitatum est, quod aliquid debeatur alicui naturæ, seu subjecto secundum unam considerationem, seu prædicatum, quod secundum aliud repugnat, sicut cælum in ratione rei quantæ non repugnat dividi, quod tamen repugnat in ratione rei incorruptibilis, et natura angelica ex parte naturæ creatæ, quæ potentialis est, et non actus purus, non repugnat multiplicari; quod tamen repugnat ex parte naturæ ut est forma subsistens sine materia; et homini convenit immortalitas ex parte animæ, non ex parte corporis; et volucris convenit ascendere in quantum animal volatile, quod repugnat in quantum corpus grave. Et sic actui libero morali non repugnat rectitudo ex parte ipsius entitatis actus ut liber est, et ut a voluntate regulationis capaci procedit, quia prout sic præbet materiam mensuræ, et regulæ morali mensurandam. Sed tamen repugnat illi, ut habet determinatam speciem malam; sicut artefacto quod habet speciem imperfectam, et defectuosam in genere artificiali repugnat species artificialis recta; non tamen ipsi repugnat ex parte materiæ formalis artificialiter. Neque hoc est habere capacitatem ad oppositum suæ essentiæ in eodem genere morali, sed quod ille actus in entitate sua, et prout procedit a principio libero sit capax oppositæ formæ, id est, rectitudinis moralis, quia hæc non est essentialis illi entitati actus, sed accidentalis (ut dicemus infra disputatione xi) ista autem entitas actus magis inclinatur, et est illi debita regulatio conformitatis, quam deviatio a regula, licet ex suppositione, quod voluntas illum elicit cum obliquitate, et tendentia ad objectum dissonum, non

possit tendentiam rectam illi apponere, et mutare illum nisi destruendo; sicut quantitas petit posse dividi, licet ex suppositione quod producit, et inhæret corpori incorruptibili, non possit.

XXIV. Ad confirmationem respondetur, quod ratio boni, et rectitudo debetur actui peccaminoso, non solum secundum suam rationem genericam in linea morali, nec ratione speciei atomæ, et determinatæ in eodem genere, sic enim potius opponitur rectitudini, sed ratione ipsius actus etiam individualiter sumpti prout in sua naturali entitate mensurabilis est, et ordinabilis secundum regulas rationis. Et licet hoc quod est esse regulabilem, et dirigibilem a ratione sit aliquid commune omnibus actibus moralibus, quia omnes materiam, et entitatem habent regulabilem ideoque hoc quodammodo ad genus, et communem rationem pertineat sicut in artefactis materia ponitur loco generis non absolute, sed ut artificiali modo efformabilis est, tamen materia hæc actuum moralium, qui sunt ipsi actus liberi in se considerati non absolute, sed ut regulabiles regulis rationis, habent rationem communem, et quasi genericam. Et secundum hanc sunt capaces rectitudinis etiam illi, qui ex objecto suo mali sunt. Et debetur eis rectitudo, quia debetur perfecta regulatio illi materiæ.

XXV. Unde aliqui dicunt, quod actus mali solum dicuntur habere privationem rectitudinis ratione sua generica, licet secundum speciem suam non sint capaces illius. Et hoc sufficere ut carentia alicujus formæ dicatur privatio, et non pura negatio, sicut talpa dicitur cæca, quia licet ex sua specie non sit capax oculorum, est tamen ex sua generica ratione in quantum animal. Quam do-

ctrinam admittit S. Thomas i parte, quæst. xxxiii, art. iv ad secundum, et quæst. ix de potentia, art. ix ad undecimum. Contra quam tamen militare videntur plures objectiones. Nam imprimis aqua dici posset privata calore, et ascensu. seu levitate, quia secundum rationem genericam horum est capax. Item, quia ratio generica est indifferens ad omnes species; ergo si actus humanus in communi, et generice solum est capax rectitudinis, etiam erit capax malitiæ: unde æque diceretur privatus rectitudine, vel malitia, sicque actus bonus habebit privationem malitiæ, sicut malus privationem rectitudinis. Vel saltem si sola illa indifferentia sufficit ad privationem, sic diceretur actus malus privatus rectitudine sicut leo rationalitate, quod est absurdum. Item quia si sic est; ergo odium Dei secundum suam speciem non est privatum rectitudine, sed solum secundum genericam rationem, et sic secundum suam speciem non erit malum, sed secundum genus, quia sine privatione non est malum; cum tamen genus odii Dei, id est, actus moralis in communi abstrahat a bono, et malo, et solum secundum suam speciem malum sit. Denique si solum est capax rectitudinis secundum suam rationem genericam; hæc autem est communis, et indifferens non solum ad hanc vel illam virtutem aut bonitatem, sed ad omnes, sequitur quod quodlibet peccatum habeat privationem omnium virtutum, et omnium bonitatum, quia omnes istæ convenire possunt rationi genericæ, et sic carentia eujuscumque in illa erit privatio, et non negatio.

XXVI. Nihilominus solutio nostra recta est, et omnes istæ instantiæ eliduntur ex illa, solum advertendo quod ratio generica potest duplici-

ter inveniri. Uno modo ut omnino indifferens ad suas species, et differentias contrahentes, quia de se dicitur rationem pure potentialem, et logice prædicabilem, seu abstractam a talibus differentiis, nec una illarum se habet ex defectu ad alteram, sed quælibet in sua linea, et ordine perfecta est. Alio modo ratio illa communis, et quasi generica non est omnino indifferens ad omnes suas differentias, sed licet sit capax omnium, tamen una ex illis se habet quasi integrans, et perficiens rationem illam communem, alia ut deficiens et a sua perfectione rem illam extrahens, licet sit capax illius ratione alicujus defectus, vel impedimenti retrahentis a propria sua perfectione, et fine. Exemplum primi est fere in omnibus naturalibus, et secundi fere in omnibus artificialibus, aut etiam moralibus, seu mensurabilibus ab aliqua regula. Nam animal, verbi gratia, respectu equi, et leonis ita indifferenter se habet, quod ratione illius non potest dici equus privatus perfectione leonis, vel e contra, licet illis perfectionibus, quæ communiores sunt similibus animalibus possit dici privatum animal, quod caret illis, sicut talpa dicitur cæca, non solum quia animal in communi est capax illius perfectionis, sed quia aliæ similes species, scilicet animalium terrestrium capaces sunt illius.

XXVII. At vero in artificialibus, et his quæ aliqua certa regula mensurantur, et ad illam ordinantur ut ad perfectionem, et finem, videmus divisionem fieri in membra, seu species, quarum una se habet ut perfectio intenta a tali ratione communi, alia ut deficiens ab ipsa, et in talibus speciebus ipsa, quæ est deficiens semper dici capacitatem, et ordinem ad illam perfectionem, sibi debetur ex ipsa ratione communi, quæ ad id inclinat tamquam

ad perfectionem propriam, et debitam, licet in quantum deficiens, et imperfecta species est, et sub illa attingentia imperfecta, habere illam non possit, verbi gratia, in logicis oratio dividitur in perfectam et imperfectam, syllogismus in perfectum et imperfectum, et qui imperfectus est, privatus est perfectione debita syllogismo, quam tamen perfectionem habere non potest in quantum imperfectus est. Similiter sacramentum dividitur in formatum et informe, adificium in inchoatum et consummatum, perfectum et defectuosum; et denique quælibet res in fieri, et in facto esse, in quibus species imperfectæ sunt privatæ perfectione debita illis non secundum ipsam rationem particularem imperfectam, sed secundum communem, qua inclinatur ad talem perfectionem ut sibi debitam, quia revera illa perfectio se habet ut mensura, seu regula per quam ipsa communis ratio postulat regulari et perfici, et si ab illa degeneret, fit species defectuosa in quam degenerat ratio communis, licet utriusque speciei sit capax. Quod ex eo provenit, quia in his artificialibus, aut moralibus, seu quibuscumque mensurabilibus, materia ipsa regulabilis, et mensurabilis capax est utriusque mensurationis, et perfectæ et defectuosæ, et quia communis est utrique speciei, et tenet se ex parte rationis genericæ, imo loco generis solet poni (saltem generis physici) dicitur ratione illius etiam species imperfecta capax rectitudinis, quia materia regulabilis ad regulam rectam, et perfectam semper respicit.

XXVIII. Unde solvuntur omnes instantiæ allatæ, quæ solum procedunt de genere quod primo modo se habet, et omnino indifferens est ad species, et differentias, quæ absolute illam contrahunt, non de ge-